

DISSERTATIO ACADEMICA,  
DESCRIPTIONEM SISTENS HISTORIAMQUE  
PAROECIÆ NAGU;

CUIUS  
PARTEM PRIOREM,  
PERMITTENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE  
*JOH. FREDR. WALLENIO,*

*Eloqu. Professore P. & O. Ordinum Imperialium de S. Anna  
secundæ & de S. Wolodimiro quartæ clasjs Equite, Societt.  
Oeconn. Imp. Fenn. atque Reg. Wermel. nec non Societ.  
Patriot. Holm. Membro, & Societ. Latin. Jenens.  
Socio Honorario,*

VENTILANDAM,  
PRO GRADU PHILOSOPHICO,  
EXHIBET

*BRODERUS ABRAHAMUS MIÖDH,*  
*Stipend. Publ. Aboë-Fenno.*

In Auditorio Philosophico die XVIII Junii MDCCXIX,  
horis ante meridiem solitis.

---

A BOË,  
Typis FRENCKELLIORUM.

DISSEMINATIO ACADEMICO  
DESCRITIONE HISTORIA  
TATRIOLI TACCI

Слово

История

Слово Татриоли Титул Академии

Причины

НОВЫЙ ТРЕДЯ МАЛЕНЬКИЙ

ОБРАЗОВАНИЕ ОБЩЕСТВА  
СОВЕТСКОГО СОЮЗА  
ПРИЧИНЫ ПОДДЕРЖАНИЯ  
СОВЕТСКОГО СОЮЗА

Виды

СОВЕТСКОГО СОЮЗА  
ПРИЧИНЫ

СОВЕТСКОГО СОЮЗА

ПРИЧИНЫ ПОДДЕРЖАНИЯ  
СОВЕТСКОГО СОЮЗА

ЗОРА

СОВЕТСКОГО СОЮЗА



## DE PAROECIA NAGU.

---

### *Prooemium.*

Cum nihil, quod ad cognitionem Patriæ augendam illustrandam pertineat, parvi æstimandum sit, cumque hanc in rem ut symbolæ conferantur, pendaturque sic natali solo tributum, ab indigenis præsertim, nec sine jure expectatur; mihi, specimen Academicum edituro, multis ex causis dilectissimam tradandi materiam Parœcia Nagu ipsa quasi obtulit. Neque vero caret illa, si vel ab amore, quo in loca, ubi primam vitæ lucem adspeximus, ferri solemus, discesseris, rebus æque saltem memorabilibus, atque quæ aliis ejusmodi locis famam & celebritatem præstare solent. Terra, ut in ceteris fere maris nostri insulis, montosa atque saxosa, minus quidem est sanguinem abundantans, nec metalla ibi aut adhuc dum invenit industria humana aut videtur esse in posterum inventura; at situs insularis hujuscce Parœciæ dudum tamen efficit, efficitque vel hodie, ut navigatio et mercatura incolis non facultates solum et opes, ad vitam sustentandam necessarias, verum etiam cultiores politioresque mores, quam iis plerumque esse solent, quibus non nisi rara obtigit cum aliis conversandi occasio, suppeditaverit ingeneraveritque. Ceterum Benevolos Lectores, dum consideraverint, juveniles vires ad eas res, quæ matuoriem cognitionem postulant, indagandas plenque expedientes

A

das

das non sufficere, si qua in his pagellis minus perfecta occurant, ea haud in pejorem saltem interpreturos esse partem sperare audemus.

§. 1.

Parœcia *Nagu* nomen accepisse, conjectura haud omnino improbabili, putatur a svecanis vocabulis *några* (nonnulli, aliquot), quod dialecto incolarum jam vetere (*a*) sed vel hodie iisdem propria, *nager* sonat, & *öar* (insulæ). Quæ duo vocabula, ultimis litteris abjectis, efficiunt nomen *Nagö*, quod incuriosius prolatum in *Nago* & hinc in *Nagu* facillime abiit (*b*). Derivationem vero nominis numerus explicat insularum, e quibus Parœcia hæc nostra constat, cum quæ ab incolis, stabiles sedes habitibus, inhabitantur, tres sint supra viginti.

Distat Aboa templum Parœciæ  $3\frac{1}{2}$  Sv. milliaribus in ea coeli plaga, quæ Boream versus tendit; Holmia, plaga, quæ ventum spectat inter Austrum atque Zephyrum medium, spatio circiter  $22\frac{2}{3}$  Sv. milliarium (*c*); subjetacque, in majorum

Par.

---

*a)* Etiam in antiquioribus Svecorum Legibus ceterisque scriptis, formis *naqvar*, *nakar*, *nakor* efferti hoc vocabulum solere, testis est IHRE in Gloslar. Sviogoth. T. II. p. 245.

*b)* Antiquos nomen hoc pronuntiasse *Nau* vel *Naw*, constat ex illorum temporum monumentis; cfr. PAULLI JUUSTEN Chronic. Episcoporum Finlandens. edit. a Cel. PORTHAN p. 434. Neque hunc si non scribendi, at certe pronuntiandi morem in oblivionem plane venisse, nonnullorum, præsertim qui Svecanam lingvam minus callent, vel nostris temporibus testantur exempla. Analogum quoque est Parœciæ *Sagu* nomen antiquius *Saw* (cfr. PORTHAN l. c. p. 227 sq.), quæ etiam (ut nostra, *Navo*) *Savo* appellari a Fennice loquentibus solet.

*c)* Cfr. Disert. de Territorii in Finlandia Wirmœnsis Memorabilibus

Parœciae nostræ Insularum minore altera (*Lill-landet*), hujusque parte boreali, mons *Kasberg* prædii equestris (*Russhåll*) *Probstvik*, ex computatione Reverendiss. quondam Episcopi JAC. GADOLIN, dimensioni triangulare innixa,  $60^{\circ} 12' 38''$ .

Subjuncta est Parœcia *Nagu* Præfecturæ Aboënsi, Territorio Wirmoënsi; ad res autem ecclesiasticas quod attinet, Archiepiscopatui atque Cathedrali Capitulo & Archipræposituræ Aboënsi paret. Circa *Nagu* sequentes Parœciae sitæ sunt: *Korpo* Corum versus; *Pargas* versus Orientem; *Rimito* in Boream; *Kimito* in Eurum; *Zephyro*. Notum vero versus propriæ Parœciae nostræ, ultimæ, eademque Mari Baltico hujusque Sinui Fennico confines, insulæ.

Limites, qui ceteras Parœcias a nostra separant, aquæ iliae quæ eas interfluunt, constituunt. Sunt vero præ ipuæ circa Parœciam nostram aquæ 1:mo *Erftan* (Fenn. *Aristo*) (1), quæ oras Naguenfes inter Septemtrionem & Orientem sitas alluit; Hujus a Parœcia in Septemtrionem perfecte vergens continuatio *Nordfjorden* vocatur. 2:do *Örfjorden*, Pargasenses a Naguenfibus discriminans, a Septemtrione in Meridiem unius Sv. milliaris longitudinem, ab Occidente in Orientem quartam Sv. milliaris partem latitudine tenet. 3:io *Gullkronafjorden*, duobus a templo Sv. milliaribus Eurum versus distans, trium Sv. milliarium longitudinem habet, semetque usque ad *Jungfru-*

Part. Poster., quam edidit a. 1741 GREG. A. HALLENIUS Præf. Cel. H. HASSEL, §. VIII, p. 10. (Prodierat Prior Pars triennio ante, Præfide Cel. ALG. A. SCARIN).

(1) N. G. AF SCHULTÉNS Logarithmiska Tablor och åtskilliga andra Tabeller, Stockh. 1802 p. 127.

(2) Cfr. PORTHAN I. c. p. 55 not. 24 & p. 773.

*frusfund* expandit. 4:to *Korpoström*, Occidentem a Parœcia nostra spectans, periculosa navibus majoribus Aboam tendentibus indeve exeuntibus via. 5:to Mare Balticum, sive potius ea illius pars, quæ Sinum Fennicum & Bothnicum interjacet, oramque insularum nostrarum earum, quæ *Skären* proprie appellantur, in Zephyro-Notum versam attingit.

Parœcia nostra in 5 partes commode dispescitur, scil. in *Terram Majorem* (*Stor-Landet*), *Terram Minorem* (*Lill-Landet*), *Circumiacentes proxime Insulas*, *Insulam Skälö*, *Insulasque ultimas marinas* (*Utskären*) (f). Major Terra illa est eaque maxima totius Parœciæ pars, cuius septemtrionalis ora a *Nordfjeren*, australis a *Mari Baltico* (insulis extimis meridiem versus longius relicta), occidentalis a *Korpoström*, orientalis ab aqua, quæ itineri navium maritimo per Parœciam inservit & insulas aliquot hic sitas circumdat, alluitur. Minor Terra a *Majore* ad orientem protenditur. Ceteros ejus fines freta majora *Erstan*, *Örfjeren* & *Gullkronaffjeren*, in sua quæque plaga, constituunt. Circumiacentes Insulas longum esset omnes enumerare, earumque situm singulatim indicare; cum tamen omnino omitti minime debeant, præcipuas paucis attingere volumus. Majori Terræ septemtrionem versus adjacent insulæ *Wandrock* & *Innamo*, quarum illa ideo notatu digna est quod

f) Eadem est Parœciæ distributio in Dissertatione GREG. HALLENII jam laudata, l. c. eamque, utpote situi & naturæ insularum accommodissimam, secuti etiam nos sumus; neque vero placet nobis antiqua magis illa quam apta Circumiacentium Insularum appellatio, qua, ex pristinorum saltem incolarum more, Svecano redundunt vocabulo *Flotbar*, cum hæc vox obsoletæ jam illi *Fluthulmur* (IHRÆ libr. cit. T. I. p. 508), recentioribusque *Flotholma* (Cap. xii. §. 4. J. Bl.) & *Flotholme* analoga, de natantibus tantum Insulis dici recte queat,

tam exterarum quam nostratium navium, ad mare Balticum tendentium, via inter hanc insulam & prædium equestre nobile (*Säteri Ruythållt*) *Thorsund* pergit; hæc ideo, quod incolæ ejus ad forum juridicale *Korpoënse* (*Korpo Tingslag*), sed ad forum ecclesiasticum *Naguense*, pertinent. Terræ Majori ab oriente contiguæ sunt insulæ *Ermidholm* & *Biskopsö*, in illo sitæ freto, quod hanc ipsam Terram a Minore separat; hisque insulis a meridie, circumiacentium istarum omnium prope maxima, *Högfar*, in qua duo sunt prædia equestria (*Ruythåll*); hincque Zephyro-Notum versus insula *Fagerholm* (g). A Terra Minore in Septemtrionem discedunt *Kieldö* & *Hafverö*. Hinc porro ad orientem se offerunt *Sandö* & *Pensar*, quarum hæc ab illa meridiem versus est sita. Ab his, si Zephyro-Notum versus tetenderis, occurrunt *Sommarö* & *Kirjas*, quas inter hæc nuper memorata *Högfar* major etiam aliquanto est. Hæ insulæ, quarum omnium situm a minore Terra ultimo loco determinavimus, omnes ejus sunt magnitudinis, ut singulæ earum unam saltem societatem paganam (*byalag*) hujusque præcipuas possessiones rusticæ comprehendant. Reliquæ minoris sunt momenti.

Insula *Skälö*, ubi Nosocomium pro Amentibus custodianis (Morocomium liceat id appellare, cum jam non amplius, ut olim, leprosi etiam, infirmi atque pauperes ibi recipientur) in-

g) Hujus insulæ situ ad *Korpoström* in errorem ductus TUNELD eam ad Parociam *Korpo* perperam retulit (Vid. Ejusdem Geographie 6 Uppl. 4 Band. p. 56. 7 Uppl. 3 Band. p. 292), cum tamen subjaceat illa pago *Krok* in ultimo Majoris Terræ meridiem respiciente promontorio. Ceterum causam cur memoria sit digna hæc admodum parva insula, quod nempe naves Aboa proficiscentes eoque redeentes Telenfi publici jure istic visitentur, recte omnino edidit. Est etiam ædes lapidea publica ibi in hunc usum exstructa.

institutum est, *Kieldö & Hafverö* insulas, supra memoratas, itinere haud longo interjacet (h).

In-

(h) Videtur haud incommodus hic esse locus, ut hujus Insulæ descriptionem paulo proprius persequamur. Continet illa unicam tantum villam *Fogdebyn*, eamque Morocomii ipsius propriam possessionem, ex qua ergo quotannis provenientes reditus Morocomio maximam partem in loco ipso penduntur; sed sunt tamen & prata nonnulla minora habitationumque loci partim Sacerdoti, partim aliis Institutui ministris concessa. Aedificia Morocomii lapidea tria Anno 1802 absoluta sunt. Horum maximum 20 loculos five cellas, in quibus Amentes custodiuntur, continet. Minus aedificium 6 con-clavia, totidem convalescentibus occupanda destinata, comprehendit. In tertio culina sunt & promtuarium. Praeter hæc vero tria lapidea aedificia adeo etiam ligneum pro amentibus ulterius 20 confervandis, circa annum 1792 exstructum; complectque, post factam biennio ante Hospitalis Aboæ domus (Leprosorii) cum Skåldensi conjunctionem, Amentum publicis sumtibus hic alendorum & sus-tentandorum numerus, cum circa superioris facili exitum trigena-rium raro excederet, quadragenarium. Pecunia, pro unoquoque horum hue accessu solvenda, a Sveciæ Rege CAROLO XI, quo regnante translatum hue a. 1672 ex Parcecia Alandiæ Föglö & cum nostro conjunctum, quod per quatuor fere lustra illis viguerat, Le-prosorium, ita fuerat a. 1695 definita, ut pendendi instituto esent thaleri argentei 20; jam vero summam efficit 36 Rubliorum argenteorum, cui accedunt etiam velles primo saltem anno necessarie. Reditus vero anni huicce Morocomio concessi sequentes hoc tem-pore sunt: 1:mo Decimæ publicæ e Ditionis Aboënsis villis, 450 frumenti tonnæ, 2:do Ab undecim propriis Morocomii prædiis itidem frumenti hoc quidem tempore tonnæ 101, 3:o 300 Rubliar-gentei, 4:to Fenus ab 8482 Rubliorum argenteorum sorte proveniens, Impensa annua universæ confliterant a 1795 Imperiislibus Svecaniis Thaleris 7<sup>1</sup>/4, skill. 7, oris 2; jam vero per singula Amentum capita ad 80 circiter argenteos Rublos computantur. Templum ligneum, loco pristini itidem lignei, vetustateque, ut videtur, consti-tuti, Anno 1733 in crucis formam iterum exstructum est, calicesque possidet argenteos duos cum operculis, pondere semunciarum (iод).

Insulæ, quæ sub nomine *Skären* comprehenduntur, quarumque situm supra indicavimus, ideo ad propriam Insularum nostrarum classem merito referuntur, quod pleræque earum a Templo Parociae procul adeo absunt, ut incolæ earum sacris in illo peragendis raro admodum interesse possint. Quam ob causam in insula harum maxima *Nötö*, eaque in centro fere reliquarum posita, Sacellum ligneum exstructum est (i).

§. 2.

sexaginta unius. In hoc Templo locus, cancellis a reliquo templi ædificio seclusus, conspicitur, ubi leprosi, quorum habitatio in Insula *Skålö* usque ad decimi octavi sæculi medium permanst, dum sacra fiebant, olim federunt.

Sacerdotum Oeconomorumque, quorum munia conjuncta jam per aliquod tempus fuere, seriem inde ab Anno 1710 hanc fuisse constat:

*Sacerdotes*

*Oeconomi*

HARALD ALFTAN

JÖNS CASTIN

JOH. GOTTSKALK

LITHANDER

JOH. GUSTAVI SALONIUS

GABR. HAARTMAN

JAC. CAVONIUS

G. LAURÉN

CARL CONRAD RITZ

GOTTFRID BLOMBERG

ABRAH. GOTTSKALK

HENRIC JOH. HOLMBERG.

Adsumt præterea salariis iustis sustentati Inspector, qui simul est æditius Templi, duoque famuli & tres ancillæ. — Suppleri partim, partim & emendari, ex his posunt, quæ leguntur apud TUNELDIUM Edit. 7:mæ p. 293, apud D. v. SCHULZENHEIM Tal om den offentliga värdan i hänseende till Foikets feder och helsa samt de Fattigas lifsbergning, Bih. p. 151, 154, 157, 187 sq. atque in Åbo Stifts Matrikel p. 24. Conferri de hospitali urbis nostræ domo atque de Leproriorum Fennicis merentur etiam PORTHAN. p. 281 sq. 402 sq. § 21 sq. & Åbo Lidingningar 1783 N:o 46 sq. p. 366 sqq. atque RADLOFF Beskrifn. om Åland p. 218 sqq.

i) Fuisse hoc Sacellum liberalitate Illustrissimæ Comitisæ MARIAE SO-

## §. 2.

Topographicæ insularum Naguenium descriptioni, tam ut spalarum Parœciæ partium generalem conspectum ante oculos legentium ponere mus, quam quia advenis illuc navigantibus haud plane inutilem esse scitu existimavimus, aliquamdiu immorati sumus. Postulat nunc propositum noltum & ordo, quem sequi decrevimus, ut ad Templum principale describendum pergamus.

Templi Parœciæ nostræ situs, nomen, ædificii materia & dimensiones, in Halleniano descriptionis compendio, aliquoties jam a nobis laudato, recte quidem expressæ sunt. Est nempe Templo isti, in Insula maxima sito, nomen S. OLAVI inditum, tractumque illud a Rege Norvegorum OLAVO HARALDI f. Sancto, qui præter insignem suum in propaganda religione Christiana ardorem, & Balticum mare ipsasque Fenniæ insulas jam

pira-

---

**RHIS DE LA GARDIE** (ultimum hocce nomen ipsius illius, an mari-  
ti, fuerit, non constat), postquam intra scopulos, qui Brändharen  
vocabantur, prope pagum Löhholm, insans naufragium salva a. 1664  
evasisset, exstructum, narrat etiam HALLENUS l. c. p. II. Inno-  
tuit præterea, fuisse gratum servatae animalium mox 13 ducatis au-  
reis, quibus asles ad sacellum contabulandum deinde emebantur,  
in hunc finem donatis significatum. Paullo post, cum Holmiam ve-  
nisset, velamentum misit pro altari (antependium vulgo appellari so-  
litum) coloris nigri, floribusque acu pictis & denticulis plexilibus  
(petiar) pretiosis distinctum, indumentum missaticum interius atque  
exterius, candelabra duo ænea, & 500 thaleros cupreos. quibus  
comparatus deinceps calix argenteus. Hoc Sacellum vetustate sensim  
labefactatum nunc tandem corruit; quod ante quam fieret, avi mei  
paterni, Pastoris atque Præpositi ABRAH. MIDDH., cura aliud insula-  
riorum sumtibus & expensis Anno 1755 exstructum est. In neutro  
vero quovis dominico dic, sed per intervalla longiora, sacra cele-  
brantur; quod neque aliter fieri potest, cum proprio nullo gaudeat  
Ecclesiola illa sacerdote,

piratico illorum temporum more infestavit, iam pacatus transiit (*k*), a quo ergo magnæ dignationis Sancto in eadem hacce Finlandia etiam Ulfbyensis (*l*). Ecclesiæ Templum suam fortita est appellationem. Materia Templi nostri lapidea est; longitudine intra parietes 90, latitudo 42, altitudo 28 pedum; conditi annus ignoratur, sed ex campanæ mox commemorandæ inscriptione facile est probatu, esse illud jam quinque circiter sæcula emensum (*m*).

Duas januas habet: unam versus meridiem, quæ ad vestibulum e axis structum, nec fornicatum tamen, dicit, ad occidentem vero alteram. Illa viri, hac feminæ in Templum intrant. Lanqueare hujus octo columnis lateritiis, quattuor ad utrumque Templi latus erectis, fulcitur; intraque ipsos porticus est si-  
ve pervius aditus, qui *S:tora Gången* vocatur. Duobus podiis (*läktare*), utroque in duas partes diviso, quorum alterum septentrionale latus Templi tenet, alterum vero supra occidentalem januam conspicitur, instructum est. In lateralí illo podio generosarum stirpium, quæ olim Parœciā nostrā incoluerunt,

B

*k)* LAGERBRINGS Svec Rikes Historia I Del. p. 208, 263.

*l)* Vid. Disl. JOH. TOLPO de S. OLAVI N. R. pravo Religionis zelo, Pref. ALGARIN, Abi. 1738 p. 26 sqq. Perhibetur idem & de Templo Jomalensi Alandiæ; BÄNG Priscor. Sveogothor. Ecclesia p. 268. Sunt forte & alia Templorum pariter nominatorum exempla; sed contenti jam erimus Dominicanorum Aboënsium Cœnobii, ab eodem Rege nomen fortiti, meminisse; cfr. FORTHAN I. c. p. §86, §90. Åbo Tidn. 1796 N:o 1. Confirmatur, nostram ad Parœciā quod attinet, res etiam nundinis S. OLAVI die (29 Julii) quotannis celebrati ibi diu solitis.

*m)* Non est ergo illius ætas ex iis quinti decimi denuo sæculi monumentis definienda, quæ I. c. p. 443 & 515 laudavit Cel. FORTHAN, sed altius multo repetenda.

runt, insignia, pariter ac simulacra aliquot virorum in sacris Veteris Testamenti scriptis memoratorum, depicta sunt; in altero, januæ imposito, organa locantur pneumatica, 14 tonorum modis (*flämmor*), quorum duo hemitonia sunt, distincta, tribusque ventum afferentibus follibus praedita, & ab artifice organario Svecano nomine OLAVO SWAN Anno 1791 affabre elaborata (n). In aperto illo ligneo fornice, quem hæc organa in utrumque Templi latus protensa formant, concinnum est horologium.

Ad ornamenta, quæ Templum intrantibus ulterius sponte se conspicienda exhibent, merito quoque referimus 1:mo Vexillum Parœciæ, Halecem geminos interjacentem leones coronatos, subscriptumque habentem annum 1712, repræsentans. 2:do Suggestum, in quo imago Servatoris, radiante fulgentis capite, telluris orbem in sinu gestantis, mediumque inter Evangelistarum quattuor & Apostolorum PAULLI atque PETRI imagines tenentis locum, depicta est. Tectum ejusdem Suggestus sicut cum Sole cœlum, e quo Angeli descendunt. 3:to Tabulam altari impositam, quæ Servatorem sacram cœnam insti-tuentem, eamque cum Apostolis suis celebrantem, repræsentat. 4:to Opus ligneum in choro pendens sculptum, quod Servatorem ostendit pedibus manibusque clavis perforatum cruciisque affixum, & ex apertis vulneribus guttas destillantem sanguineas. 5:to Tria e fornice ordine in portum (Stora Gången)

---

n) Non caruerat tamen decimo septimo jam sæculo Templum nostrum Organis Musicis, sed minoribus illis & fere portatilibus (*Positif*), quinque tantum tonorum duorumque folium; Cfr. HÜLPHERS om. Musik, Instrumenter och Orgverk p. 250, 290, ubi & (qua fide necio) perhibentur fuisse antiquiora ista organa ex urbe Nådendal hue quondam allata. Datus his erat locus in podio septentrionali, quod etiam a. 1659 pictum sumtibus Nobiliss, in Diœcœstrio Aboënsi Aſſessoris, GUSTAVI ILLE, fuit.

gen) dependentia orichalcea fusa candelabra, quæ, propter artis pulchritudinem, insignem Templo afferunt ornatum. 6:to bene elaboratam parvam navem bellicæ forma, parvisque instructam bellicis tormentis, e tecto dependentem; cuius quidem generis ornamentum & in aliis pluribus visitur Finlandiæ Templis.

Templo a septentrione cohæret Sanctuarium (*Sacrifian*), e axis cetera exstructum, sed præterea & coëstis lateribus laqueatum. In hoc, præter pecunias, vasa & utensilia Templi, ingens asseratur Ceti cujusdam, ut videtur, aut forte Mammothi vertebra, quam ulterius examinent harum rerum periti.

Olim apud Naguenses, ut in reliquis fere omnibus sacris cœtibus, is invaluit mos ut mortuos in Templo sepelirent; in quo ergo & hodie multa supersunt sepulcralia monumenta, sed post consuetudinem illam sensim infirmatam hujusque saeculi initio plane abolitam, jam clausa calceque & lapidibus obturata. In Templi autem cœmeterio, quod muro cingitur quadrangulari, lapidea quattuor conditoria, quorum præcipuum in septentrionali hujus areæ parte cellam feralem (*Likboden*) osfiumque receptaculum interjacet, cernuntur.

Campanisterium in monte, aliquot a Templo passus distante, exstructum campanas duas continet, quarum major Holmiæ Anno 1784 a JOH. JAC. MÄRTENSSON refusa, svecanas inscriptions utrinque habet, petitam alteram e Ps. 95 v. 6, alteram e Ps. 122 v. 1. Conflata hæc est campana ex ære aliis perantiquæ per pulsatoris petulantiam fissæ, cuius inscriptionem, Gothicis (monachalibus) exaratam characteribus, ante licet utcumque adumbratam (o), fidelius multo descripsit,

a. 1735

---

<sup>o)</sup> Legitur nempe illa apud HALLENIUM l. c. p. 10. hoc modo; 3<sup>o</sup>

a. 1735, nominatus jam supra JOHANNES GUSTAVI SALONIUS,  
cujus ergo ex apographo eandem æri insculpi hisque apponi  
pagellis curavimus.

Campanæ minoris inscriptio Slavonica est, dudumque a Nobilissimo Supremi Aboënsis Dicasterii Consiliario SIMONE LINDHEIM in latinam lingvam translata (p). Accuratioem eiusdem

Domini \* Honore \* Sum Tusa \* per Henricum \* (difficulter le-

guntur) ender \* wagk \* d<sup>o</sup> mar<sup>o</sup> nau<sup>o</sup> m<sup>o</sup> f<sup>o</sup> v<sup>o</sup> i<sup>o</sup> e<sup>o</sup> z<sup>o</sup> x<sup>o</sup> A.  
Hæc qui cum Salonianis contulerit apographo, facile deprehendet  
non esse omnia tam lectu intellectuque difficilia, ut haud constet  
fuisse hanc campanam in Naguensis (nav, non nau) Ecclesiæ usum  
fusam anno jam 1328. Suspicamur etiam, pro Honore incisum fuis-  
se Honore, e. honorem Notavit præterea idem SALONIUS, exscul-  
ptam in hac campana extitisse Christi cruci affici imaginem, huic-  
que suppositam litteram H, insigne, ut is putabat, Curatoris Templi  
(Kyrkovärd), sed verisimilius Fusoris.

p) Legitur illa in Dissertatione HALLENII p. II, his verbis: *Puris  
fimæ virginis, ditionis Iwanacensis, pro parentibus & semet ipso-  
- - fudi hanc campanam gratia divina & jusfu Servi DEI Jo-  
HANNIS EUSTACHII filii KADIEVI - - ejus sacramentorum & re-  
sur:ctionis Christi atque blagoviescheniu; additurque hæc Nobilis-  
simi Viri annotatio: Detta sidsta ordet, som jag nu uti haftighet  
ej kan gifva på annat språk, betyder i Slavonian den första ring-  
ningen som skier om högtijden med en klocka. Uti Slavonska bi-  
beln kallas och Evangelium blagoviest, och Evangelisten Philippus  
blagoviestnik, locus Lab. constant: A:o M:di 1701. Mirum est,  
Virum, eumque doctissimum, & qui per tredecim & ultra annos  
suerit in Russia commoratus (captus nempe a. 1709 ad Pultavam,  
captivus ad pacem usque Neostadiensem manit, misfususque dea a.  
1723 fuit ad ejusdem Imperii aulam), magnamque tam scriptis  
quam ministeriis (in his commemorari hoc certe loco oportet com-  
modatam primum Gubernatori Satrapiae Nyflostensis L. B. JOHAN-  
NI HENRICO FRISENHEIM in epistolis Russice aut exarandis aut in-*

jusdem versionem nobiscum benigne communicavit Praclariss.  
ad hanc Academiam Mag. Doc. ERICUS GUSTAVUS EHRSTRÖM,  
cujus in re difficulti impigrum laborem grati agnoscimus. Utram-  
que vero inscriptionem quod æri insculptam exhibere jam pos-  
simus

interpretandis operam, deinde delectis finium Russiam inter & Sve-  
ciam determinandorum arbitris interpretis officium) probaverit & lin-  
gvarum & rerum peritiam, in aliis hæsisse plane, in aliis suis  
parum recta amplexum. Diligentior Praclarissimi EHRSTRÖM inter-  
pretatio sic habet: In Masejensem purissimæ Dei Matris Ecclesiam,  
pro parentibus suis & pro se, servo Dei, sua hæc campana, per  
gratiam divinam, & iussu servi Dei JOHANNIS EUSTATHII filii KA-  
DIEF & dominæ ejus TATIANÆ, in resurrectionem Christi & annun-  
tiationem. 4 Pud. Notari vero ad hæc conveniet sequentia: Ubi  
sita fuerit Parœcia ista Masejensis, certo definire haud nos quidem  
audemus; nec videtur tamen illa esse vel a Fennia ipsa vel a ma-  
ri procul admodum querenda, in primis cum inscriptio campanæ Sla-  
vorica, pondusque ejusdem Russico vocabulo expressum, abunde  
doceant, suis hæc campanam primitus in possessione cœtus cu-  
jusdam Græcae fidei addicti, probabileque vel sic fiat, eam non  
emtione aut dono, sed belli casu, & maritimæ potius quam terre-  
stris alicuius expeditionis fortuna, nostratisbus cesisse. Conjici er-  
go haud nimis temere poterit, ablatam suis illam aut prædio Estho-  
nico nobili circuli Wickenfis (esthonice Länemaa) Parœciæque Han-  
nehl s. S. PAULI (esthonice Hannela) mari vicino, Massau (esthonice  
Maso s. Masjomois), de quo commemorat A. W. HÜPEL in  
Topographische Nachrichten von Lief. und Ehßland, 3 Band p. 548  
sq. 669, aut prædio publico in Parœcia Peide s. Peit, insulae Oe-  
sel, sito Masick (esthonice Masi s. Masjomois), de quo legi potest i-  
dem HÜPEL I Band p. 310 sq. 2 Band, Nachtrag p. 14, 3 Band p.  
376 sq. 669. Quamvis enim hæc loca non Parœcia sint sed Præ-  
dia, videtur tamen nihil esse quod impediat, quo minus iisdem, &  
huic in primis, quod quippe & valde ampli est ruris, & castello illi  
Equitum Teutonici Ordinis jam dudum collapso Sonneburg propin-  
quum, paruerit aliquando saltem minor quidam coetus, qui Græcam  
religionem profiteretur; præsertim cum in voce illa ПОГОСТЬ  
non semper cogitanda sit majoris quedam amplitudinis Parœcia, sed

simus Lectoribus, benevolentiae debemus atque follertiæ amici atque agnati nostri dilectissimi, ad Dicasterium Imperiale Aboënsis Notarii Vicarii Nobiliss. P. A. FINKENBERG.

solitarius quidam sacra æde instructus pagus (*Kyrkoby*). Sed ultra conjecturas nihil dare adhucdum possumus; & nihil prouersus lucis præbet ARV. MOLLER, in cuius tamen Beskrifning Öfver Est. och Lifland conferri possunt pagg. 52 & 69.

Ad pondus Campanæ quod attinet, indicant illud verba Inscriptionis 4 Pud, quæ quidem æquivalent libris Svecanis 154 (7 L:W 14 ff); cum tamen conjectum vulgo fuerit, & alicubi etiam scriptum (in Descriptione Parœciæ nostræ MS, a laudato supra JOHANNE GUSTAVI SALONIO a 1735 contexta), esse pondus istud fere duplum, librasque efficere Svecanas circiter 300 (15 L:W). Rem proprius explorare haud licuit,



In domini et honore et gratia et Eucharistia  
per et henricum et ender pustek et  
dimat et natus est universitas

ПРУГЕНБЧЬИЯЕСКОИПОГОС  
ТЪПОРОТСЯСВОЙИПОСЕБЧ.  
РВЕВЫИМСИКОТОКОЛЪПОНЯТИБ  
ИПОВЕДНІЕРЯБЧИЯИЯСЕТ  
ЯВЯСНЯКЯДЫЕЯДАБОНАЛІННЕГО  
ТАЯНЬІВОСКЕНИЮХВДЯБГ  
БЧЕЮ    